

Letter 108: 14 September 1521, Mainz, Caspar Hedio to Capito

The manuscript of this letter is in Paris, SHPF, ms. 756/2, f. 61.

S. D. Gratulamur honori tuo, charissime patrone. Praepositus es et canonicus Sancti Thomae. Frustra cessit conatus nebulonum quorundam maxime illorum, qui se tibi in speciem exhibuerunt seu amantissime obsequentis, praeposteros Silenos imitati, a quibus ut diligentissime prospicias rogat cognatus tuus Fridericus Prechter, qui horum astutias in hoc negocio deprehendit. Tales enim depinxit nudius tertius quibus fidere tutum est minime. Ut verum de illis sit adagium: *una manu panem ostendant, altera lapidem*. Proinde curabis absolvenda quaedam, quae adhuc desiderantur tibi in quietem. Nam periculum aiunt imminere, si forsitan, ut sit, res humanae caduntur, Leo P.M. moriretur. Qui Capitoni favent gaudent ex animo te nactum oportunitatem constituendae quietis, quam in aulicis negotiis non licet vel somniare.

10 Fertur a Wittenburgensibus in te scripta esse invectivam quandam, Francofordiae undique circumspiciebam iam in nundinis, nihil offendens in Capitonem; si deprehendero quippiam, non celabo. Ex literis Hutteni ad Carbachum idem intellexi.

Scribunt alii quidam, quos fama obscura recondit, principem Moguntinum mirum in modum sevir in sacrificulos passim, idque ad eam tragediam faces adhibente Capitone.

15 Mitto libros quos cupivisti. Eberbachius atque ego donamus te duobus piretis quae dignari velis, meliora non erant vendibilia. Beatus in Tertulliano laboravit diligentissime quem tibi quoque mittimus, theologum theologo absolutissimo. Erasmus brevi erit Basileae, cuius literas ad te quoque mitto. Annotationes in N. T. excudet, textu iam ferme absoluto.

20 Ego favore Dei mihi restitutus sum, valeo bene. Literas quas Eberhardio scribis expendo, nam mihi quoque sunt utilissimae. Consilium tuum obviis, quod aiunt, manibus amplector. Immodestiam detestor maxime et calumniam.

Opto te bene valere in Christo Iesu. Ocyssime ex Moguntia 1521, exaltationis crucis. Salutant te amici etc.

Boni consule fesso, ex itinere literae.

25 Tuus Gaspar Hedio.